

Q. N. 127, 9.

Ya  
1346

AD AVDIENDAS ORATIVNCVLAS  
DIEI EXOPTATISSIMO ATQVE AVSPICATISSIMO  
QVO  
SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS  
DOMINVS  
CAROLVS AVGVSTVS  
DVX SAXONIAE


IULIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVIVS  
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPALI DIGNITATE  
HENNEBERGIVS COMES MARCHIAE ET RAVENSBERGAE  
DYNASTA RAVENSTEINII REL. REL.

CLEMENTISSIMVS PRINCEPS NOSTER AC DOMINVS  
OPTIMIS AVSPICIIS

IMPERII FASCES SVSCEPIT  
A SCHOLA BVTTSTADIENSI SVMMA PIETATE CONSECRANDAS  
HVMANISSIME INVITAT  
SIMVLQVE HISTORIAM SCHOLAE BVTTSTADIENSIS  
LITTERARIAM



PROPONIT  
G. S. SCHWABE  
SCHOLAE RECTOR.



VINARIAE, LITTERIS GLÜSINGIANIS. clō 1000CLXXV.

AD ACADEMIAM CAROLINAM  
DIE SEPTIMA APRILIS ANNO MDCCCXXXV  
1835  
SERIENSIS PRINCEPS AD DOMINUM  
DIO M I N V S  
CAROLVS AVGVSTVS

DEI GRATIA  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
PRAESIDIUM  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
SECRETARIUM  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
CANTORUM

DEI GRATIA  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
SECRETARIUM  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
CANTORUM

DEI GRATIA  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
SECRETARIUM  
SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE  
CANTORUM

I. G. S. SCHWABE

SCHWABE

1. JUNII 1835





C
Haud vna ratio est, quae, vt nostrae bonarum litterarum officinae historiam et fata litteris consignarem, me impulit. Deberi enim hoc a me excellentibus virorum, de schola optime meritum, ingenii putavi, vt cum nostratium animos, tum aliorum, qui rei litterariae amatores se profitentur, ad eorum memoriam reuocarem. Deinde, vt testantur annales, eruditionis atque doctrinae laude conspicui viri e schola nostra prodierunt, qui et patriae et reipublicae litterariae essent ornamento: quorum quidem nomina cum Musarum nostrarum fautores, tum nasutulos atque iniquos earum aestimatores ignorare nolui. Sed sunt alia his longe maiora. Magna nempe (quid enim negem?) me spes tenebat, fore, vt, si DVX noster CLEMENTISSIMVS, nostras in instituendis adolescentibus operas haud frustra consumi, intelligeret, is quidem, pro incredibili suo in litteras amore, scholam, qua non plane indigna videretur esse, gratia amplecteretur. Hisce igitur praemissis adgrediamur ad rem.

Scholae fundamenta saeculo post Christum natum xvi. iacta sunt. Anno enim c1010xxxviii. senatus aedes scholasticas exstruendas easdemque anno c1010lxxx. amplificandas ac restaurandas curauit (\*). Primus, qui munerere rectoris

A 2

(\*) *Fassl Buttstad.* Fol. 18 et 25. Codex hic Msc. quem vulgo *das Regentenbuch* appellant, antiquissimum est vrbis nostrae monumentum. Recenset ab anno c10ccccx.

### III

rectoris perfungeretur, TIMOTHEVS KVLAND fuit, nouissimo tempore pastor teutlebenſis (\*). Tantum autem abest, vt, quod ad historiam litterariam saeculorum praeterlapſorum pertineat, id omne hoc loco a me commemorari possit; vt ea potius, quae hoc saeculo acciderunt, plene cum lectoribus communicatur sim. In tanta enim subsidiorum inopia antiquiorem historiam silentio praetermittere, quam eam mancam tradere malui. Sed tamen e. quadam b. REINHARDI, primarii quondam apud nos antistitis, scriptiuncula (\*\*), in medium adferre placet, a schola condita vsque ad primum secundum huius saeculi annum XVIII. existisse rectores, qui fere omnes subsequenti tempore aliis muneribus, vel ecclesiasticis, vel politicis, praeponerentur. Nominatim autem eos percenset de nobis aequae ac de republica litteraria optime meritus Reinhardus. Circa saeculi XVIII. initium schola nostra coepit florentior esse atque copiosior. In codice enim modo memorato haec leguntur: *im Jahr 1702 wurde die hiesige Stadtschule verbessert, und ein Chorus Musicus von grossen Schülern, welche hieher kamen, zum ersten aufgerichtet, die in kurzen dergestalt zunahm, daß das Chor auf dreysig Schüler stark war. Der damalige Rector hieß Herr MICHAEL SCHMID, ein hübscher gelehrter Mann. Zur Aufnahme der Schule hatte der Superintendent, Herr MYLIS und sämtlicher Rath viel beygetragen (\*\*\*)*. Anno MDCCCIII. classis conrectoris, quae antea non exstiterat, fundata eiusque cura fidei STECHERI, pastoris deinde primarii atque inspectoris wiehensis, demandata est. Quod vt probem, ad codicem, supra descriptum, prouoco, vbi sequentia memoriae prodita reperi (\*\*\*) : *auf Einwilligung eines Fürstlichen Oberconsistorii wurde von dem*

MDCCCX. omnia consulum ac reliquorum senatorum nomina, resque maxime memorabiles Buttſtadii gestas. Quem deinde additamentis adauxere codicem anno MDLXXXI. BENEDICTVS LADENSACK, primum rector scholae, deinde consul, conscribere coepit. Tanto maius autem pretium codici videtur esse constituendum, quum vnicum fere monumentum sit, ab incendio, quod oppidum aliquoties deuastauit, liberatum.

(\*) LAVR. REINHARDI *Nachricht von dem zweyhundertjährigen Jubiläo der hiesigen Stadtkirche*, p. 21.

(\*\*) Vide libellum nota praecedenti citatum.

(\*\*\*) *Fasti Buttſtad.* ad an. MDCCCII.

(\*\*\*\*) *Id. liber* ad ann. MDCCCIII. coll. b. REINHARDI libello p. 22.

dem Rathe in der Schule die vierte Klasse angeordnet, und das Conrectorat gestiftet. Die Befoldung gab theils der Rath, theils die Kirche zu Wenigen-Buttstadt, und reservirte sich der Rath dabey in behörigen Fällen das ius vocandi, wie er bey andern Schulkollegen allezeit exerciret.

Rectorum nomina, et scriptis et meritis insignia, vt nunc indicem, ordinis ratio suo quasi iure postulare videntur. Ac primum quidem notandus est

I.) ANTONIVS EHRENFRIED FASELIVS, Vinaria ortus. Praeceptore vsus est Grosgebauero, scholae vinariensis tum rectore dignissimo, ac litterarum, quae ad humanitatem pertinent, peritissimo. Hic antea, quam huc veniret, virum summum ac immortalis memoria dignum Maecenatem Münchhusium Streinburgi aliquamdiu erudiuit. Quum iam in eo esset, vt, Faselio duce, litterarum causa Halam se conferret Münchhusius, casu accidit, nescio quo, vt ille studiorum moderatoris officio, antea sibi delato, sese abdicaret, munusque rectoris scholae nostrae capefferet. Ac huic quidem ab anno CIO IOCC V. vsque ad annum CIO IOCC VIII. magna cum laude praefuit. Ingenii monumenta in vulgus non edidit, sed opera eius in schola regenda magni tum aestimata est. Commutabilis autem fuit vitae eius ratio variaque fortuna. Nouissimis temporibus assessoris supremi sacri senatus et archidiaconi munere Vinariae perfunctus, ibidem vitam cum morte commutauit (\*). Rectorem IOANNEM CASTARVM FRIELIVM, de quo non habeo, quod dicam, exceperit

II.) M. AVGVSTINVS BISCHOFF, Francus, anno CIO IOCC X. Iena, inelyta haec Musarum sede, huc vocatus. Grammatica graeca, quam *Cadmus* inscripsit, his temporibus multum laudis et gloriae consequutus est. Duae autem editiones huius libelli, summa ingenii vbertate confecti, exstant. Altera anno CIO IOCC III. forma disputationis Arnstadii typis exscripta est (\*\*), altera vero anno CIO IOCC VIII. prodit (\*\*). Quas editiones si quis inter se comparare

A 3

(\*) *Acta historico-eccles.* T. III. p. 460. sqq. *Fasli Buttstad.* ad ann. CIO IOCC V.

(\*\*) Inscribitur: *Cadmus*, siue lingua graeca e suis eruta natalibus. Pagg. 154. 8.

(\*\*\*) *Cadmus*, siue lingua graeca e suis eruta natalibus fundamentis superstructa firmiter analogia quadam numquam audita ad legendos Graecos accessuris adprime adcommodata. *Editio secunda*, priori magis perspicua auctior atque emendatior. Ienae sumtibus auctoris, CIO IOCC VIII. 8. Pagg. 431.

rare velit, non facile, posteriorem priori exortam fuisse, sibi persuadebit: ita aucta et magis elaborata sunt omnia. Magno autem cum plausu Bischoffii grammaticam tum fuisse exceptam, partim e fatis magna exemplorum diuidentorum copia (\*), partim ex editione iterata luculenter adparet. Neque etiam quemquam graecarum litterarum adeo rudem fore arbitror, qui Bischoffium, linguarum orientalium scientiam egregie callentem, de graeca grammatica infigniter meritum fuisse neget. Non solum enim in elegantissimo illius libro his temporibus ore alio indicta leguntur, verum etiam graecae linguae studiosi iuvenes aequae ac in litteratura Graecorum exercitati habere omnino mihi videntur, quo alere possint ingenia. Antiquissimarum linguarum originem generatim inuestigat auctor, atque originem ac fata graecae speciatim enarrat. Quae praeterea praestiterit noster, ex suis ipsius verbis quam ex meis malo intelligi: *linguam, inquit, a capite ad calcem emendaui, hoc est, ab alphabeto exorsus super singulas litteras commentatus sum. Progressus ad syllabas ea produxi, quae visa adhuc nemini fuerunt. In vocibus modum ostendi eas deducendi plane ignotum. In flectendis illis viam iniui facillimam; in nominibus quidem per duas declinationes, in pronominiibus vero per easdem declinationes defecta suis singula thematibus restitui, ut iam nullo labore percipi una cum nominibus possint. In verbis coniugationem constitui vnicam, ita quidem, ut sine vlla aut obscuritate, aut difficultate, flectendi ratio singulorum absque omni anomalia euoluta sit atque perfecta, cet.* (\*\*). Curauit porro BISCHOFFIUS nouam tabulae Ceбетis editionem, anno MDCCCX. forma nitida sumtu auctoris Ienae in lucem publicam emissam. Testimoniis SVIDAE atque DIOGENIS LAERTII fulus editor Ceбетem hunc Thebanum ac Socratis discipulum esse putat. Castigauit autem textum, eundemque notis grammaticis, criticis atque moralibus, eruditionis ac rei criticae testibus, instruxit, et interpretationem latinam, id quod laudamus, omisit. Tabulam, quam adcuratissime fieri potuit, aeri incisam, a quibusdam editionibus abesse intellexi; nisi omnia me fallunt eam potissimum ob rationem, quoniam ipsa editio antea iuris publici facienda erat, quam tabula omnibus numeris esset absoluta. Complura quoque programmata edidit noster (\*\*\*), quorum vero vnicum tantummodo in manibus meis fuit, in hono-

(\*) Vide praef. Ed. II.

(\*\*) Conf. praef. Ed. II.

(\*\*\*) MAGENII Progr. de scholae buttsad. insauratione p. 4.

honorem diei natalis serenissimi ducis WILHELMI ERNESTI, anno MDCCCXIII. in curia buttstadiensi a schola pie celebrati, conscriptum. Anno MDCCCXXVII. Bischoffius vita, laudatissime acta, Buttstadii excessit. Sunt fortasse, qui mecum optent, ut propter doctrinam ac litterarum scientiam, quae in nostro erat, plane singularem, fortunae placuisset, amplioribus eum ornare muneribus (\*): sed ut fit, non semper meritis honos. Ei successit

III.) M. DANIEL PEUCERUS, Lusatus. Qui quum scriptiunculis quibusdam, in academia ienensi editis, famam ac laudem adeptus esset, anno MDCCCXXVII. rector scholae electus est. Oratione de *necessaria philosophiae cum humanioribus litteris in scholis coniunctione*, vni plagae impressa, munus scholasticum auspicatus est; quod quidem per quinque annorum spatium, ea, qua par est, fide atque industria expleuit. Anno enim MDCCCXXXII. munus rectoris scholae numburgensis suscepit, ac non sine grauissimo auditorum sensu, discessum praeceptoris moleste ferentium, abiit. Circa annum MDCCCXXXII. munere correctoris portensis, anno autem MDCCCLII. amplissimis honoribus directoris lycaeii isenacensis decoratum fuisse accepimus. Tenuit Peucerus amplissimam philologiae atque rhetoricae scientiam, a qua philosophiae studium nullo tempore seiungendum esse existimauit. Testes huius rei locupletissimos habeo complura ingenii specimina, ab ipso iuris publici facta, inter quae ars oratoria, vicibus iteratis prelo subiecta, imprimis elucet. Index scriptorum minorum, Buttstadii editorum, hic est: de *linguae latinae origine graeca non teutonica* comment. Ienae pl. 1. 4. De *legendis ab iuuentute scholastica classicis auctoribus* prolus. Ien. 1727. pl. 1. 4. De *legendis eruditionis causa classicis auctoribus* prolusio ib. 1728. pl. 1. 4. De *optima auctores imitandi ratione* comment. Ien. 1729. pl. 1. 4. De *orthographia consuetudini non seruiente* comment. Ienae. 1730. pl. 1. 4. *Zuhelspflicht und Freude der buttstädtischen Schule* prolusio, in memoriam traditae augustanae confessionis edita 1730 pl. 1. 4. De *idiotismis C. Iulii Caesaris* comment. 1 et 2. Ienae 1731 et 1732. pll. 2. Sequitur

III.) M. ZACHARIAS BENJAMIN POCARUS, singulare quoddam scholae nostrae, in qua duce Bischoffio cursum scholasticum absoluit, ornamentum. De eius

(\*\*\*) STOLLIVS Anmerk. zu Heumanns Consp. p. 558. haec de eo litteris consignauit: dieser gewesene Rector der Schule zu Buttstädt wußte vor diese kleine Schule zu viel.

eius vita non habeo, quod commemorem, pro eius autem in scholam meritis non possum quin honores ei habeam, gratiasque agam, quantas mens mea capere potest maximas. Programmata eius buttstadiensia ita inscripta sunt: *de scholis antediluvianis* comment. Ienae 1733. pl. I. 4. *De linguis per arma victricibus prolatis*, Vinariae 1735. pl. I. 4. *De ludis Romanorum litterarum*, Vinariae, sine mentione anni (ni fallor 1736) pl. I. 4. *De eruditione et dignitate claris Buttstadiensibus* comment. Vinariae 1738. pl. I. 4. *De quibusdam ad litterarum studia incitamentis nec non altero eruditione et dignitate claro Buttstadiensi* prol. Ienae 1740. pl. I. 4. Praeter ea duo adhuc exstant, annis CIO IOCC XXXIII. et CIO IOCC XXXVIII. scripta, quorum videntur autem copia facta mihi est omnino nulla. Discessu Pocari anno CIO IOCC XXXI. dignitate rectoris querfurtensis ornati, schola grauissimam fecit iacturam. Accidit enim, ut fere omnes primi ordinis ciues vel Vinariam peterent, vel quem singulari amore amabant praeceptorem Querfurtum sequerentur. Schola tunc orba esse, Musae lugere, chorus musicus obmurescere. Rebus ita comparatis, quam cathedra rectoris vacua esset relinquenda, serenissimus dux ERNESTVS AVGVSTVS, piissimae memoriae, iussit, ut quod stipendium antea rectores meruerant, id viro celeberrimo, M. IACOBO CAROVIO, tum gymnasiis vinariensis rectori, postea directori, meritis cumulatissimo, donec alia esse coepisset scholae nostrae facies, persolueretur. Veruntamen in tam tristi tamque afflictio rerum suarum statu schola non ita diu fuit. Quae enim fuit singularis dei providentia, factum est, ut anno CIO IOCC XXXII.

V.) M. CHRISTIANVS FRIDERICVS MAGEN, Saxo, conrector crearetur, *scholae buttstadiensis restaurator*. Is omni ope ac opera enixus est, ut, quae adhuc vehementer neglecta fuerat, classis secunda emendaretur illiusque ciues eiusmodi facerent progressus, ut, qui primam frequentare possent, digni iudicaretur. Quin etiam nihil prius nihil antiquius habuit Magenius, quam vt extraneos allectaret iuvenes. Neque operam perdidit: comitante enim fortuna effecit, vt aliquot interiectis annis prima classis cum choro musico restitui possit. Quo facto a duce *serenissimo* impetravit senatus, vt pecunias, huc vsque Vinariam missas, in nostrarum Musarum vltus impendere illi liceret. Itaque anno CIO IOCC XXXV. senatus Magenio, conrectori longe meritissimo, munus rectoris contulit, sicque schola restaurata est. In perennem huius rei memoriam b. Magenius actum oratorium praestituit atque ad audiendas oratiunculas programmata, cui index lectionum praefixus est, inuitavit (\*). In altera, ab eo edita prolu-  
sione

(\*) Vinariae 1746. pl. I. 4.



sione de THEODORO CHRISTOPHORO VRSINO, *philosophiae P. P. O. in academia Fridericiana, scholae buttstadiensis quondam alumno*, differuit (\*). Vrsinus, grande decus nostrum, Bischoffium praeceptorem nactus est, a quo liberalissimis studiis eruditus an. 1700. insigni cum laude Musas salanas salutavit. Quanto cum ardore autem ibi litterarum studia excoluerit, vel ex eo intelligi potest, quod 1703. a rege Borussiae sponte Halam vocatus, professoris philosophiae munus suscepit (\*\*). Qui quum quadraginta annos complexerit, ad artem salutarem tam acriter incubuit, ut in ea summos consequeretur honores (\*\*\*). Non solum autem philosophica, verum etiam medica scripta nomen Vrsini magnopere illustrant. Ut ad Magenium reuertar, mature etiam aetate florente decessit, vir integerrimus, acerbis fortunae casibus saepius conflictatus. Legendo ac relegendo scriptores antiquos ingenium adeo aluerat, ut sermone romano eleganter scriptos libellos non sine summa voluptate legas. Huius viri memoriam nulla profecto unquam apud nos delebit obliuio. Locum eius occupauit

VI.) IOANNES CAROLVS KREBS, Buttstadiensis, clari quondam apud nos musici filius, celeberrimi rectoris Grimmensis frater. Quem si cum antecessoribus, laude dignis, comparari posse dicam, minus praedico, quam debeam. Nam eos, in primis si nonnullarum disciplinarum rationem habeas, superauit. Hic, praeceptore Pocaro, litterarum studia Buttstadii exercere coepit et in cognoscendis atque tractandis optimis artibus nullam non posuit operam. Audiuit deinde virum summum, litterisque tuendis natum IOANNEM AVGVSTVM ERNESTI, laude mea maiorem, qui litterarum cupidissimo adolescenti de copiosissimis doctrinae variae thesauris libentissime suppeditauit. Quum autem esset in nostro mira ingenii, industria elaborati, celeritas, factum est, ut incredibiles in litteris faceret progressus. Itaque non sine iustissima causa schola exultauit, Krebsio anno 1700. in locum Magenii suffecto. Haud alterum hoc munere fuisse digniorem, excellentibus ingenii illustris foetibus Krebsius euidenter demonstrauit. Omnes, quas typis excudendas curauit, commentationes ob argumentorum delectum, cum gratia nouitatis coniunctum, aequae sese commendant, ac propter doctrinae abundantiam, elegantiam orationis rei que litterariae, in primis antiquae, scientiam. Pergratum me

B

multis

(\*) Ienae 1747. pl. I. 4.

(\*\*) MAGENII Progr. p. 6.

(\*\*\*) *Id.* l. c.

multis facturum esse putari, si doctissimorum, quos Buttstadii scripsit, libellorum titulos describerem: *de institutione iuventutis scholastica apud Athenienses* prolusio, Ienae 1751 pl. 2. 4. *De stylitis* commentatiuncula, Lipsiae 1753 pl. 2. 4. *De expeditione Alexandri M. hierosolymitana*, Lipsiae eod. ann. pl. 2. 4. *De Cretensibus non mendacibus* prolusio Ienae 1755. pl. 2. 4. *De fide in fidem* Rom. I, 17. commentatio Ienae, 1756. pl. 1. 4. *De Romulo pacis quam belli artibus maiore prolusio*, Vinariae 1757. pl. 1. 4. De ceteris rebus quantus Krebsius fuerit, quam bene de schola meruerit, facili negotio ex eo iudicari posse arbitror, quod ERNESTI eum magni fecit, quodque his temporibus solito plures exstiterent, qui Musis nostris cum laude valedicentes in academias abirent (\*). Quae quum ita essent, non potuit fieri, quin matura Krebsii morte, anno MDCCCLVIII. oppetita, schola vehementer concuteretur. Desuncto successit

VII.) M. CHRISTIANVS ADOLPHVS TROEBST, qui vsque ad annum MDCCCLVIII. rectoris locum tenuit. Dignitate deinde pastoris Sulzae Montanae honoratus discessit, atque non ita multo post ibidem diem obiit supremum. Commentatione, latine atque ornate composita, de *ambitus lege veterum Romanorum* ad audiendas quorundam alumnorum orationes inuitavit (\*\*). Ioannes Theophilus Schwabe, vir eximio ingenio natus, in eius locum substitutus, scholae ne integrum quidem annum (febris enim maligna ei mortem adferebat) sed cum laude praefuit. Post huius mortem anno MDCCCLVIII scholae praepositus est

VIII.) M. IOANNES CASP. HOYER, Vinariensis, primum bene meritis scholae ienensis corrector. Multum hic operae in emendandis lectionibus collocavit, auctoribus, quos vocant, classicis, Horatium atque Virgilium addidit, abhinc aliquot annis non lectis, oratoriae, arithmeticae ac geometriae praecepta, secundum elegantissimum summe venerabilis ERNESTI compendium, tradidit. Anno MDCCCLXIII. munus pastoris Mega-Krumsdorffensis ei delatum est, quod nunc ea, qua decet, fide administrat. Duas prousiones in lucem emisit, in quarum altera *scholas minores et alumnorum adfluentia non insignes immerito a vulgo contemni demonstravit (\*\*\*)*: altera de *instituenda scriptorum latinorum lectione pauca exponit. (\*\*\*\*)*

Anno

(\*) Vide annales scholae.

(\*\*) Vinariae 1764. pl. 1. 4.

(\*\*\*) Ien. 1770. pl. 1. 4.

(\*\*\*\*) Ibidem 1771. pl. 1. 4.

Anno praeterlapso Senatus pro suo in me fauore munus rectoris, abitu Cl. Hoyerii vacuum, mihi decreuit. Quum tres annos et quod excurrit Vinariae litteris operam dedissem, Carpouio praeceptore vsus, anno 1805 ccccix. in academiam ienensem me contuli. Docuerunt autem me viri celeberrimi WALCHIIUS atque MÜLLERVS antiquitates, historiam litterariam, rem diplomaticam, numismaticam, historiam patriae, stylum sermonis romani elegantiorum, rem Graecorum litterariam. Linguae gallicae elegantissimum *Bouletum*, anglicae *Tannerum* habui praeceptores, atque etiam praelectionibus cel. virorum historicis I. E. SCHMIDII, hebraicis TYMPHII et HIRTII, philosophicis SVECOVII, POLZII et WIDEBURGII interfui. Quam studiosissime fieri potuit sermonem romanum excolui, ingeniumque exercui disputationibus, et publicis et priuatis; neque etiam theologica, quatenus fini proposito responderi videbantur, neglexi. Anno 1805 cccclxx. finito cursu academico, Dux serenissima ANNA AMALIA, vt maxime venerabili atque eruditissimo viro, IOANNI CHRISTIANO BARTHOLOMAEI, serenissimae domus vinariensis a bibliotheca, adiungeret, clementissime iussit: quo quidem munere, de quo mihi gratulari iustissimas habeo rationes, quatuor fere annos functus sum. Ex quo autem cura scholae nostrae mihi demandata fuit, in id potissimum omnes cogitationes et curas contuli, vt mentes iuuenum vtilissimis studiorum humanitatis praeceptis imbuerem atque etiam ea traderem, quae ad ordinandum gustum pertinere viderentur. Cui quidem proposito vt rite satisfacerem, necessarium mihi visum est, ordinem lectionum paululum immutare. Itaque N. T. graeco adieci GESNERI chrestomathiam graecam, in locum compendii Zopfiani, atque officiorum Ciceronis eiusdem orationes selectas ac elegantissimum SCHROEKHII libellum: *Lehrbuch der allgemeinen Weltgeschichte*, substitui. Quoniam porro antiquitatum scientia nihil adolescentibus potest esse vtilius, nihil iucundius, rem ita disposui, vt antiquitates graecae BOSIO, romanae autem, CELLARIO duce, vicibus alternis breuiter explicarentur. Logicam denique ad ductum summe Ven. ERNESTI tractare coepi atque prospexi, ne rei litterariae nouissimae pariter atque antiquae plane rudes essent iuuenes. Haud alienum esse putavi, lectionibus modo nominatis indicem reliquarum addere. Explicantur autem

I. *Horis publicis*: theologia reuelata b. Reinhardi, rhetorica Ernestiana, Geographia, philosophia moralis Gellerti, nouum testamentum graecum, epistolae Ciceronis, Cornelius Nepos, Ouidii libri tristium, poesis latina.

II. *Horis priuatis* : fabulae Phaedri, Iul. Caesar, Q. Curtius Rufus. Prouectiores Horatii odas et Virgilioe Aeneida legunt. Consecratur quoque hora linguae hebraicae elementis.

III. *Horis priuatissimis* linguam gallicam doceo. Ex his ingenio praeditos iuuenes, ea qua par est diligentia ad litterarum studia incumbentes, apud nos eosdem, quos alibi, progressus facere posse, satis intelligi posse putamus. Abhinc etiam amplius LX. annis vsque ad hodiernum diem, testibus scholae annalibus, ad vmbilicum perducto cursu scholastico, ad altiores disciplinas progressi fuerunt et progrediuntur. Ad numerum alumnorum buttstadiensium, qui scriptis inclaruere et muneris grauitate conspicui fuerunt, adseribi potissimum debent: D. THEODORVS CHRISTOPHORVS VRSINVS, Professor halensis: IOANNES GOTTFRIED MYLIUS, pastor quondam primarius Hannouerae: ZACHARIAS BENIAMIN POCARVS, IOANNES CAROLVS KREBS, de quibus supra diximus: CHRISTIANVS THEOPHILVS MEYER, artis salutaris professor in academia ienensi, qui aetatis flore ante aliquot annos obiit. Alios, qui ingenii monumenta typis non imprimenda curarunt, quorumque haud paruus est numerus, silentio, ne nimis longus esse videar, praetereo. Itaque nihil amplius restat, quam vt libellorum a me editorum inscriptiones hoc loco adiungam. Praeter labores anonymicos, in ephemeridibus atque diariis litterariis memoriae proditos, a me edita sunt: de *deo Thoro* commentatio, Ien. 1767. 8. *Idyllen des Theokrit aus dem Griechischen*. ibid. 1769. 8. mai. De *monimentis sepulcralibus sachsenburgicis* commentatio, in qua diuersa antiquitatum germanicarum argumenta penitus illustrantur, Lipsiae 1771. 8. mai. *Theoduli ecloga*, ad codices MSS. castigata et cum lectionis varietate itemque commentatione critica edita, Altenburgi 1773. 8. *Beytrag zur empfindsamen und moralischen Lektüre*. Altenburgi 1774. 8. De *sensu pulcri in legendis Graeciae ac Latii scriptoribus*, programma, quo munus scholasticum auspiciatus sum, Vinariae 1774. 4. maj. impressum: *der Nachrichten zur Lebensgeschichte des Herzogs Johann Wilhelms* erster Beytrag, prolusio, Vinariae, 1774. 4. Ceterum quae in manibus meis sunt de Ioanne Guiljelmo anecdota omnia in diario litterario (\*) nundinis lipsiensibus proximis in lucem prodibunt. Consilium enim, ea in programmatibus edendi, mutauit. In eodem diario exstant quoque, quae in amuletum germanicum, in agro ienensi reperiuntur, commentatus sum.

Seq

(\*) Inscrubitur: *der Geschichtsforscher*, Halae apud Gebauerum,

Sed sufficiant haec. Namque tempus praefens gratiora desiderat. Quae enim immensa est numinis diuini gratia atque beneuolentia illuxit dies laetissimus, felicissimus, exoptatissimus, quo serenissimus dux, CAROLVS AVGVSTVS, clementissimus PRINCEPS noster ac DOMINVS, spes atque deliciae nostrae, optimis auspiciis imperii fauces suscepit. O pulcherrimum diem! qui aulae, Musis, omnibus terrarum vinariensium atque isenacensium ciuibus incredibilem adfert voluptatem! Celebremus, celebremus hunc diem, ad perennem totius posteritatis memoriam aureis litteris in fastis atque annalibus consignandum! Gratias deo T. O. M. pro tam insigni tamque diuino beneficio agamus, quantas mens nostra capere potest maximas, qui nos iucundissima hac luce exhilarauit: sapientissimum rerum omnium moderatorem etiam atque etiam oremus, vt quem principem lucusque saluum, sospitem atque incolumem conseruauit, hunc ad nestoreos vsque annos voluptatem atque laetitiam nostram esse iubeat. Est igitur, quod gaudeas patria optima, adest PATER PATRIAE, qui omnes beandi cupiditate ardet: est, quod laetemini Musae, adest OPTIMVS PRINCEPS, praesidium ac dulce decus vestrum: est, quod exultes schola, adest CAROLVS AVGVSTVS, qui te fouet atque tuetur et, quibuscunque rebus poterit, auget. Maesti virtute vestra, bonae indolis iuuenes, dux adest, diligentiam ac pietatem vestram (credite, credite!) remuneraturus. — Tibi autem, o Deus immortalis, tota vinariensis, tota isenacensis terra sese prosternit: tibi religio, iustitia et aequitas supplices manus tendunt, tuum numen tot miseri, inopes atque afflicti implorant, te tota haec ciuitas obtestatur, serua nobis huius diei laetitiam atque felicitatem. Tuere CAROLVM AVGVSTVM, patrem patriae; fortuna LVISAM diuinis virtutibus praeditam, communem omnium matrem, in castissimum PRINCEPS nostri thalamum traducendam aeternoque foedere iunctam: sospita ANNAM AMALIAM, Augustam, Piam, Felicem, de nobis optime merentem: tuere SERENISSIMVM ducis FRATREM, dilectissimum ab omnibus herodem. Adsis tuo numine AVGVSTI PRINCEPS nostri consiliis et quaecunque ab illo salutis publicae causa suscipiuntur, fauste, prospere feliciterque euenire iubeas.

In vniuersa omnium bonorum laetitia, in plausu terrae vinariensis et isenacensis, in faustis ciuium acclamationibus schola nostra officio suo minime deerit. Ad sunt enim nonnulli primi ordinis ciues, diligentiae morumque integritatis laude conspicui, qui, quisque pro ingenii mensura, Musarum nostrarum fautores ad memoriam festi huius diei pie concelebrandam oratiunculis prouocare apud animum constituerunt. Ac harum quidem argumenta haec erunt:

I. IO. SAM. DAY. WENDEL. EXIVS, Guthmannshufa-Vinariensis, de *laudibus serenissimi CAROLI AVGVSTI* dicturus est, latine.

II. IO. HENRICVS REIMMANN, Buttstadiensis, de *emolumentis* differet, *quae ad eos redundant, qui itinera faciunt*, latine.

III. HENRICVS CHRISTOPHORVS SCHROETER, Reisdorffiensis, in *vita serenissimi ducis multa diuinae prouidentiae specimina inesse*, demonstrabit, teutonice.

III. IO. FRIDERICVS SCHVCKNECHT, Buttstadiensis, *serenissimorum ducum vinariensium itinera* ordine chronologico recenset, teutonice.

V. FRIDERICVS FERDINANDVS LAVHN, Buttstadiensis, *vitam b. Laur. Reinhardi* enarrabit, latine.

VI. IOANNES GOTTFRIED ZVCKEL, Buttstadiensis, exemplo Augusti ac Cinnae docebit, *conducere interdum principi, clementiam et animi magnitudinem seueritati antepone*, gallice (\*).

VII. CHRISTIANVS FRIDERICVS REIMMANN, Buttstadiensis, carmine teutonico *vota nuncupaturus* simulque toti sollempnitati finem impositurus est, si antea

VIII. IOANNES GVILIELMVS GRAEFFENHAIN, Orshufa-Saxo, *historiae naturalis studium* scholis commendauerit, teutonice. Itaque vt viri *summe reuerendi*, cum *Patronis* ac reliquis Musarum et scholae *Fautoribus* castina luce ante horam VIII in curia conueniant, et declamantium studium excitare atque etiam hac in caussa *serenissimo* pietatem praestare velint, hoc ita ab *iis* peto, vt maiorem in modum rogare nil possim.

---

P. P. BUTTSTADII D. XIII SEPTEMBR. MDCCCLXXV.

(\*) Secundus et sextus iam iam anno praeterlapso cum laude declamarunt.



**E**ntzückt erhebe deine Jubelohre  
In harmonienreichen Melodien,  
Benedicenswerthes Land — sing deines Fürsten Ehre,  
Nur Ihn sing du mein Lied — nur Ihn.  
Heil Ihm dem weisen Fürstensohne!  
Heil KARL AVGVSTS erhabnem Throne,  
Den Er voll Glanz und Majestät besteigt,  
Von dem Er lächelnd sich zu seinem Volke neigt!  
Und Heil auch uns, daß wir uns diesem Throne nah'n!  
Heil uns, daß wir den Jubelmorgen sah'n:  
Den Morgen, dessen Purpurlicht  
Hellstralend durch ein sanft Gewölke bricht;  
Den Morgen, der von Wonne überfließt,  
Und auf ein ganzes Volk des Segens Quellen gießt.  
Frohlocke laut du Heiligthum der Musen,  
Minervens Freunde jauchzet drein,  
Entzücken schwelle jeden Busen,  
Und ihr, ihr Bürger, stimmt in vollen Jubeln ein.  
Laßt uns dem besten Fürsten Weybrauch streun.  
Laßt uns mit frischgepflückten Kränzen  
Voll Ehrfurcht unsre Stirn umwinden,  
Und uns bey muntern jugendlichen Tänzen,  
Bey zärtlichem und seligem Empfinden  
Der Wonne dieses Tages freun.  
Denn seht ihr nicht? auch KARL AVGVST  
Ist ganz Gefühl bey dieser Scene.  
Er, unser Stolz, und unsre Lust,  
Weint voll Empfindung eine Thräne. —

AK Ya 1346 X3376753

1018

Ihr, die der Schwermuth Kummer nagt,  
 Die ihr verlassen, hüßlos klagt,  
 Fallt an sein menschenfreundlich Herz,  
 Er trocknet euer Aug, er lindert euern Schmerz,  
 Die ihr die wahre Weisheit ehret,  
 Nicht auf des Lasters Stimme böret,  
 Und euch den holden Mäsen weyßt,  
 Drängt euch herzu, ihr Jünglinge, und streußt  
 Hin auf den Pfad, auf dem sein Fußtritt geht,  
 Balsamische Blumen — und ihr Weste weht,  
 Weht Heil und wöniglichen Seegen  
 Dem Vielgeliebten sanft entgegen.  
 Tragt unsre Wünsche, unsre Lieder  
 Auf euern leichten Schwingen fort,  
 Und leget sie — an jenem schönen Ort  
 Des seligsten Gefühls — vor Gottes Throne nieder.


Sey uns gegrüßt, erhabner KARL AUGUST,  
 Beschützer — Vater — unsre frohe Brust  
 Durchbebet unnennbare Freude —  
 Triumph! Triumph! wir küssen heute  
 Das sanfte Scepter, das Dir AMELIENS Hand,  
 Dir, Ihrer Liebe erstem Pfand,  
 Mit Zähren in den Augen übergiebt.  
 O führ es lang — und sey von uns geliebt.  
 Geneus, geneus in festlichem Entzücken  
 Im Arm LUISENS jede Seligkeit.  
 Geneus der Wonne, deine Bürger zu beglücken —  
 Auch dies ist Seligkeit.  
 Geneus des Glücks, Bedrängte zu erfreuen,  
 Und Vater deines Volks zu seyn.



111







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Ya  
1346

NDAS ORATIVNCVLAS

ISSIMO ATQVE AVSPICATISSIMO

QVO

PRINCEPS AC DOMINVS

OMINVS

VS AVGVSTVS

OVX SAXONIAE

M ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVIVS

O MISNIAE COMES PRINCIPALI DIGNITATE

COMES MARCHIAE ET RAVENSBERGAE

TA RAVENSTEINII REL. REL.

PRINCEPS NOSTER AC DOMINVS

PTIMIS AVSPICHS

PERII FASCES SVSCEPT

DIENSI SVMMA PIETATE CONSECRANDAS

ANISSIME INVITAT


RIAM SCHOLAE BVTTSTADIENSIS

LITTERARIAM

PROPONIT

S. SCHWABE

SCHOLAE RECTOR.



TERIS GLÜSINGIANIS. clbcccclxxv.